Possunt autem cum sexies combinari ut { Misericordia veritas | iustitia pax ; Misericordia iustitia | veritas pax ; Misericordia pax | veritas iustitia } immo si ordinem transponas duodecies invenies. Si sexies praeter illa sex ut

{ Veritas misericordia | pax misericordia ; Iustitia misericordia | pax iustitia ; Iustitia veritas | pax veritas } Et ita habes numerum qui est perfectus. Vel duodenarium Apostolicum sacratissimum.

Sed sicut meus mos hec sunt. Unum tamen nitamur ostendere nobis cur potissimum dixerit misericordia et veritas: iustitia et pax. Unde notandum quod deus promisit bona et minatus est mala. Sicut primum est misericordiae, secundum autem iustitiae et severitatis. Utrumque autem cum impleverit veritas est. Quia verax est qui infert poenam et malum quod minabatur: et verax est qui confert bonum quod promisit. Sed cum in christo non nisi promiserit bona, sit autem et exhibuerit, ideo recte dicitur et componuntur misericordia in veritate: quia verax et fidelis fuit deus in bonitate et bono dando. Veruntamen hiis qui christum non receperunt non obviabunt sibi apud eos misericordia et veritas. Sed potius ira seu severitas et veritas quia reddet eis iram sicut minatus est. Et hinc venit quod communiter doctores veritatem pro severitate exponunt, sicut illud psalmo 24 Universae viae domini misericordia et veritas, et psalmo 25 Quoniam misericordia tua ante oculos meos est: et complacui in veritate tua. Et psalmo 115 aut 136 Super misericordia tua et veritate tua. Sed meo sensu videtur mihi quod misericordia componitur cum veritate, verius dicatur quod de veritate promissionis bonorum et non de veritate minationis seu severitatis loquatur. Licet aliorum sensus sanus sit et vere ibi etiam subscribendus. Ex quo tamen sensu relucet figura allegoriae tropologiae anagogiae. Quia deus minatus est malum incredulis iudaeis. Et hoc cum factum est veritas quia implevit et in omnibus quae eos minatus fuerat [illegible] et aliis. Promisit autem credentibus et timentibus bona. Et hoc sicut in christo factum est. Et sicut in illis ira dei (vindicte) et veritas sibi obviaverunt, ita in istis misericordia et veritas obviaverunt sibi. Et hec est allegoria seu potius littera. Illa autem ira quae in eos completa est, videlicet est error, induratio [illegible] in sensum reprobum et omne malum sicut minatus fuerat. Misericordia autem illa est gratia fides veritas lux virtus etc. sicut promiserat. Alleg

Ita tropologice. Promisit salutem spiritus et minatus est iudicium et damnationem carnis. Ergo qui flagellat et castigat: veritas est quia sicut minatus est et implet. Unde omnes passiones sanctorum sunt veritas quia sicut minatus est Edom et carni. Qui autem consolatur et spiritui bona dat: ecce veritas est quia sicut promiserat et nunc implet. Unde omnes consolationes et confirmationes sanctorum sunt veritas quia sicut promisit Iudae et Ierusalem. Tropol

Sic anagogice. Quod damnabit in infernum malos erit veritas: quia sicut minatus est et promisit. Tunc cum reales simul sibi obviabunt ira et veritas. Et quod bonos salvabit in caelesti gloria hoc erit sicut misericordia et veritas: quia sicut promisit bona exhibuit. Et ita fiet quod veritas reddet duobus scilicet [illegible] misericordiae exhibebit olim, sicut et miseriae. Sed quia hic tamen in bono loquitur quod dicit misericordia et veritas est. Deinde scilicet quod veritas hic generaliter capitur pro omni gratia et ira dei concessa sit. Et distinguitur a veritate quod nos veraces fieri oportet fidei. Sed solus deus est hic verax. Anag